

V c
1412





De loco sepulchrali Frederici Bellici

Q. XVI, 1

B. F.

I, 196.

V c
1412

Ad audiendam

ORATIONEM

DE

FRIDERICI
BELLICOSI
ELECT. SAX.

LOCO SEPULCRALI
In Lyceo ALTENBURGENSI

prid. Eid. Marti

A. C. dō Isc LXXIII.

H. L. Q. S.

Ex memoria prompta
habendam

REIP. LITERARIÆ ALTENB. CIVES

Submisſe, officiōſe & amanter invitāt

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
Rector.

ALTENBURGI

Apud Gothofredum Richterum, Typographum Ducalem.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





L. C.

S.



Eminem fore spero, qui sequentis dicti veritatem in dubium vocare audeat, quod autore Minutio Felice, Patrono causarum Romano quondam felicissimo, his conceptum est verbis: *Omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisq; verisimilia quam vera.* Et si cuiquam adversum tenere est libido, cum eo non rationibus, neq; autoritate, sed exemplis, quæ hoc universum suggerit, decertabo. Eorum autem numerum innumerum quoniam præsentium pagellarum angustia vix capit, uno, ut scuto quodam Vulcanio, me ibo defensum, quod à defunctorum monumentis est petitum. Tanta enim horum est incertitudo, ut quo loco alter atq; alter sit tumultatus, vel planè lateat, vel tamen habeatur in ambiguo. Primum primus humani generis parens *Adamus* suppeditat exemplum; In *monte* enim *Calvarie* sepultum volunt Tertullianus, Origenes, Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus aliiq; in *agro Damasce-*
no Ge

no Genebrardus Chronogr. l. i. f. 7. & Hebrone Hieronymus in Matth. XXIX. 33. De *Mosis* sepulcro cap. ult. in Deuteronomio autor, qui vel ipse Moses, ex Josephi & Philonis sententia, vel *μεγαθαρης* Josua, quod probabilius, edocet, illud, Deo sic disponente, nulli hominum fuisse cognitum, ne, quod Augustinus l. I. de mirabil. script. conjicit, facies Mosis rutilans mortis mœrore videretur depressa, populusque Israëliticus aliàs *φιλείδωλ* adorationis religiosæ cultum ipsi deferret. Nec adhuc hodie de *Abitabil* [quis fuerit, incertum] sepulturæ loco constat; Morti enim proximus mandavit, ut cadaver camelo impositum eo, quo ipse procumberet, loco sepeliretur: quo facto monumentum fodiendo est repertum, *Abitabil* à Noa præparatum, cui cadaver illatum: locus autem statim dicitur amissus nec unquam repertus, ut partus Muhamedis infelicissimus, Alcoranus, nugatur. Huic succedat impostorum pessimus *Muhamedes*, Abdallæ & Eminæ filius, quem nonnulli, falso tamen, *Mecca*, alii *Medina*, celebri Arabiae felicis urbe, in sacello quodam lapideo inclusum loculo statuunt humatum. Idem autorum dissidium deprehendas in loco sepulcrali *Henrici Exulis*, Marchionis Misniæ, *Alberti*, Thuringiæ Landgravii, filii, non fratris, assignando. Hujus enim exuvias templo Franciscanorum Scholæ nostræ contiguo A. C. 1299. esse traditas, communis fert fama innixa vexillo veteri ibi appenso, in quo insignia Marchionum Misniæ & Lands-

Landsbergæ adhuc conspicienda. Atq; hoc ipsum
suo comprobare calculo Georgium Fabritium affir-
mat Petrus Albinus Chron. Misn, tit. 22. f. 293. Verum,
loco Fabritii non addito, lapsum memoriâ Albinum
credo; Nam Fabritius l. VI. Orig. Sax. f. 605. & l. II.
Ann. Misn, f. 46. scribit, Henricum in monasterio Ve-
terocellensi ordinis Cisterciensis ad Muldam sito, & ab
Ottone Divite Marchione Misniæ, A. C. 1162. extru-
cto, cum filio Friderico esse conditum. Hisce jure me-
rito adjungo sepulcrum *Friderici Bellicosi*, primi ex
Misniæ Marchionibus Electoris & Ducis Saxonie,
quod quidam *Reinhardsborna*, alii *Altenburgi*, non-
nulli deniq; *Misena* reperiri summo studio contem-
derunt. Ante autem quam de hoc dicam, optimi
Principis vitam paucis lineolis depingam. Natus scilicet
est *Fridericus* patre *Friderico Strenuo* & matre *Ca-
tharina*, *Henrici* Comitis Hennebergii filia, quæ Co-
burgum Franciæ montanæ oppidum cum aliis octo
dotis loco attulit. Ætatem suam in castris potissi-
mum transegit: unde & *Bellicosi* nomen impetravit;
Nam *Friderico*, Burggravio Norimbergensi, contra
factionē Stellarem vel Stelligeram & Civitates quas-
dam Imperii, *Conrado*, Teutonici ordinis magistro in
Livoniâ & *WitHELMO* patruo Pragam obsidenti, cor-
pore non minus, quàm animo adfuit. Ejus quoq;
arma experti sunt *Erfurdiani*, *Henricus*, Comes
Svarceburgius aliq; Præprimis autem virtus illius
spectata fuit in gravissimo bello, quod Imperator *Si-
gismun-*

gismundus contra Boëmos seditionem religionis ac regni causa moventes, & *Hussitarum* nomine tunc temporis famosos suscepit: quò & obtinuit, ut *Alberto* III. Electore Saxoniae ex familia Anhaltinâ ultimo, Witebergæ A. C. 1422. sine prole mascula denato, solus ab Imperatore dignus fuerit iudicatus, cui remotis Competitoribus *Friderico* Brandenburgico, & *Ludovico* Palatino, Electoribus pro filiis *Johanne* & *Ruperto* laborantibus, ut & *Erico*, Duce Lauenburgico, *Alberti* defuncti agnato, dignitas Septemviratus cum Saxoniae Ducatu & Burggraviatu Magdeburgensi, Posonii conferebatur A. C. 1423. die Martii in Cal. Sax. volunt, nec A. 1424. ut Ludov. Persona sctus in Or. de Wittebergâ, utpote quò die Martis post Antonii Bingæ Collegio Electorali fuit adscriptus; insignia vero una cum literis feudalibus Budæmann *Johannis* Landgravii Stulingensis fuerunt tradita, quod contigisse dicitur die ad vincula Petri, non A. C. 1420. ut *Wolffg. Krause* / in Chron. des Stamm-Baums Sachsen / & *Laur. Peccenstein* in Theatro Sax. f. 147. asserunt. Eo enim anno adhuc in vivis erat Albertus; Nec A. 1426. ut *Heigius* in quæst. part. 1. qu. 4. n. 23. Sed A. C. 1425. ut Imperatoris diploma ab Albino tit. 16. Chron. Misn. f. 212. recensitum testatur. Non solum autem Marti, sed & Palladi favit noster *Fridericus*; Academia enim Pragensi, quam Imperator *Carolus IV.* An. 1360. fundaverat

daverat, variis motibus agitata, & Studiosis bis mille
inde in Misniam tendentibus occurrit optimus Prin-
ceps, Musarumq; hospitium concessit Lipsiam, Em-
porium Misniæ celeberrimum, solenni inauguratío-
ne An. 1409. 2. Dec. factâ, Rectore primo Johanne Ot-
tone, Munsterberga Silesio. Vitæ autem satur & mœ-
rore ob cladem suorum ad Austiam confectus A. 1428.
Non. Januar. generosam exhalavit animam hîc, ut
Fabritius l. VII. Orig. Sax. f. 703. & l. 2. Ann. Misn. f.
60. vel, Leucopetræ, quod aliis ut & ipsi Fabritio in
El. Sax. f. 24. placet, relictis ex *Catharina* Brunsvicen-
si Friderico, Sigismundo, Henricô & Wilhelmo filiis,
ex quibus Fridericum & Wilhelmum ad concordi-
am colendam gravissima oratione est adhortatus,
quam Fabritius l. cit. f. 702. inseruit. Quo autem lo-
co cadaver illius sit repositum, huc usq; inter autores,
ut supra dictum, certò non constitit. Qui cum
Chronico Neustetensi, Appendice Lauterbergii &
Wolffg. Krausen / l. c. *Reinhardtsborne* sepultum
volunt *Fridericum*, longius à veri lapsi ratione vi-
dentur. Confundunt enim *Fridericum Bellicosum*
cum *Friderico Simplice* vel *Pacifico*, *Balthasaris*,
Landgravii Thuringiæ ex *Margaretha* filio, qui 4.
Non. Maj. An. 1440. Wilschæ mortuus *Rein-*
hardtsborne est tumulatus. De *Friderici* itaque
sepulcro *Altenburgum* & *Misena* adhuc controver-
tunt. Ejus partes, primus, quod ego sciam, amplexus
est Paulus Eberus, Theologus Witebergensis in Cal.
Hist.

Hist. f. 36. Idem & in scriptis suis propugnavit vir de re literaria & imprimis Historiâ patriâ, præclare meritus, Georgius Fabritius, Ill. Iudi Miseni per annos 26. Rector. Nam I. VII. Orig. Sax. f. 703. I. II. Ann. urbis Misnæ f. 60. & in Elect. f. 24. tradit, Friderici exuvias *Altenburgi* in Ecclesiâ Collegiata à *Wilhelmo II. Divite* in honorem S. Georgii An. 1412. erecta, esse reconditas. Hunc magno numero sequuntur Cyriacus Spangenberg, Chron. Mansfeld. c. 314. f. 526. Elias Reufnerus Stemm. Witek. f. 39. Matth. Dresserus part. II. Mill. VI. p. 422. Anton. Albitius in Princ. Christian. Stemmat. f. 31. Abr. Saur, Calend. Hist. f. 12. Balth. Mentzius in Stamm-Buch der Chur- und Fürsten zu Sachsen/Laur. Peccenstein in prof. famil. Witek. f. 13. Laur. Faustus im Stamm-Baum des Hauses Sachsen/Zach. Schneider I. II. Chron. Lips. p. 70. aliq; pluri-
mi. Conjecturæ pro hac sententiâ faciendæ ansam præbet, quod eo, quo *Fridericus* diem obiit, anno Capella Principum Misnæ vel nondum fuerit extructa, vel tamen nondum absoluta; Pleriq; enim Historicorum *Friderico Placido* Capellæ illius tribuunt foundationem. Quî ergo in eadem potuit sepeliri? *Altenburgi* itaq; humatus sit necesse est, ubi & ipsius frater *Wilhelmus*, cui non in vitâ solum, sed morte etiam voluit adlaterari. Adhæc, si *Altenburgi* obiit *Fridericus*, quid causæ, quod aliò locorum fuerit translatus? Loco enim non deerat splendor tanto conveniens Principi: aderat Ecclesia collegiata, ut & fratris

fratris dormitorium. Leucopetræ deniq; si naturæ reddidit debitum, Altenburgum potius, locum utpote vicinorem, quàm Misenam delatus est Fridericus. Nunc & paucis videndum, quinam Scriptorum, quibusq; argumentis pro Misena pugnent. In prima autem acie offendo Paulum Langium, Cyenæum Tritheimii discipulum, & Monachum Bozaviensem, qui in Chronico Citizenensi cum aliis Germanorum scriptis à Joh. Pistorio Francofurti 1613. edito f. 856. de *Friderici sepulcro* sic scribit: *Anno Domini M. CCCC. XXVIII. Fridericus Dux Saxonie primus & Marchio Misnensis, cui Sigismundus Cesar Ducatum contulerat, obiit in Weisensfels & sepultus est in Misna in Capella Majorum suorum, quæ Principum appellatur, quæ Mausoleum eorundem suo continet gremio, in quâ & veteres pendent exuvie & raptæ ex hoste trophæa.* Quantum vero fidei hisce verbis sit dandum, quisq; intelligit. Langius enim *Friderici* temporibus fuit proximus, & à Parentibus vel aliis fide dignis certò potuit percipere, qui locus *Friderici* asservet ossa. Non possum tamen non, quin, quæ in iis desiderem, candide exponam. Dubium scilicet reddunt animum verba: *in Capella Majorum suorum, quæ Principum appellatur*: Si enim Capella illa vel ipsum *Fridericum Bellicosum* habet autorem, ut ex monumento quodam probat Albinus, vel tamen eius filium, *Fridericum Placidum*, à Majoribus sanè non

B

nè non.

nē non potuit extrui, tantum abest, ut Capellæ Majorum titulo possit gaudere. Nec est, quod dicatur, *Wilhelmum* I. Coclitē Misnæ cum uxore *Elisabetha* esse sepultum; In Ecclesiæ enim Basilicæ choro, non Capella, sepulcrum reperitur. Langio adjungo nobile Historicorum par Petrum Albinum Nivemontanum, Prof. Witeb. & Secretarium El. Sax. nec non Fridericum Hortlederum, Consil. Sax. quorum hic in honor. supr. *Friderici Senioris* Ducis Sax. Vinariæ 1622. 8. Nov. sepulti hon. VIII. n. 1. ille vero Chron. Misn. tit. XXII. f. 287. & 295. partes urbis *Misnæ* suscipiunt, quod tamen in Albino miror: Nam in Antiquitatibus Altenburgensibus Amplissimo nostro Senatui circa A. C. 1580. transmissis, *Altenburgi* esse tumulatum Fridericum, multis probare satagit. Cur ergo tam cito suam mutavit mentem? Videamus ejus rationes, quibus adductus, Altenburgo relicto, aliorum adierit castra. Primo autem loco *Friderici* II. *Placidi* de patris sepulcro adducit confessionem, quam ex literis ipsius se hausisse confitetur. Sed cur earum summam solum, & non integras adduxit literas, quæ in re aliâ incerta atq; dubia non leve habent monumentum. Sic si communi Historicorum sententiæ de causâ plagii à Conrado Kauffungio admissi contrariari esset animus, exiguam sane mererer fidem, nisi literas *Friderici* *Placidi* adjungerem, docentes, ob denegatum debitum, quod jam ex confessione ipsius

Kauf

Kauffungii erat solutum, facinus detestandum ab ipso
minimè fuisse perpetratum. Deinde vetusto inni-
titur monumento, quod tabulæ affixum in Capella il-
la reperit. Sed qui factum, quod Fabritius nun-
quam id conspexerit, qui tamen in conscribendis Mi-
snæ antiquitatibus nulli operæ temporique pepercit.
Tandem & tumbam æneam Friderici Bellicosi af-
fert, de quâ Fabritius l. c. tradit, quod Altenbur-
gum deducenda filii sepulchro ex negligentia fuerit
imposita. Sed hoc rejicit Albinus, filiiq; sepulcrum
monumento nō destitui, pluribus confirmat. Verum
enim vero quis sibi persvadeat, Fabritium in inspeci-
endis veterum monumentis cæteroquin sedulum
Friderici Placidi Cenotaphium non observasse? Num
forsan Fabritii tempore pulvere aliisq; fuit obsitum &
Albini demum ævo purgatum? vix credo. Porro,
licet Fridericus Placidus diversam à patre habeat
tumbam, exinde tamen certò probari nequit, Frideri-
ci Bell. exuvias sub ea contineri. Experientia enim
testatur, lapidem sepulcralem sepulcro non semper
respondere, sed ex uno in alium moveri locum. Sic
Fridericus Fortis vel à genis à matre *Margaretha*
admorsis *Admorsus* vocatus *Isenaci* in æde suburba-
nâ S. Catharinæ habetur sepultus: ejus vero Ceno-
taphium primò *Gotham* & An. 1613. ad *Reinhardi*
fontem est translatum, teste magno Hortledero l. c.
hon. V, n. 5. Idem fatum *Megalandri Lutheri* subiit

monumentum ; Hoc enim Septentrionali templi Jenensis oppidani parti videtur affixum : reliquiae vero illius in templo aulico Witebergenfi asservantur. Quod igitur aliis contigit, id & hic usu venire potuit, praesertim ob Clericorum fastum, motus bellicos & incendium, quo A. 1444. arx cum Ecclesia Dominica miserè periit. Sed calamum sufflaminat *αὐτοψία* Viri Architectonicae rei peritia undiquaque; celebratissimi, Wolfgangi Casparis Klengelii, qui jussu Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniae, *Johannis Georgii* II. An. 1668. d. 7. Oct. Misnam se conferens, in Capellâ saepius memorata sub tumba *Friderici Bellicosae* aenea cadaveris humani reperit reliquias, nigra tectas tunica, prout videre est ex literis ad Ser. Electorem d. 11. Oct. ejusd. anni datis, quas in gratiam Studiosorum antiquitatis huc apponere, operæ pretium fore duxi.

Demnach Eure Churfürstl. Durchl. gnädigst geruhen wollen/ meiner Wenigkeit gemessenen Befehl zu ertheilen/ und wegen Leibhafter Begräbnis des Glorwürdigsten in Gott ruhenden Hochgebornen und Theuren Fürstens Herrn Herrn Friderici Primi des Streitbahren/ als ersten Churfürstens vom Hause Sachsen/ gesicherte Erkundigung und Gewisheit einzuziehen/ damit also der so unterschiedener Autoren discrepirende Meinungen/ welche Hochgedachten Fürsten / theils zu Altenburg/ theils Meissen/ theils auch Reinhardtsborn begraben wissen wollen/ hierdurch ein Ziel gesetzt / als auch denen bisherigen entstandenen vielen Irrungen/ bey Untersuchung der Annalen abhülffliche Maß geschehen möchte. Habe dannenhero zur gehorsamster Folge/ mich den 7. Octobris nach Meissen begeben/ und in Gegenwart und beysein des Churfürstl. Procuratoris Amptschreis

schreibers / Abraham Heynemans / als welchem die Schlüssel über
die Capella Ducum anvertrauet / unten bey den eisern Begatter /
und zum Füßen des Tumuli Friderici I. Bellicosi, durch 2. Ampts-
männer die steinern Taffelstein / worauff ein Creutz gehauen / auffhe-
ben lassen / aber keine Stiegen / dem gemeinen Vorgeben nach / zu eis-
niger gewölbten Krufft entdeckt / sondern nur festen Landgrund von
fetter Erden und Stein gefunden ; Dannenhero ich fast auff die Bes-
danken gerathen / daß allda kein Fürstl. Grab zu finden seyn
würde / und bey nahe von fernerer Nachsuchung abgelassen hette /
wenn nicht zugleich unter der fetten Erden ein gebrander Ziegel mit
ausgefördert worden / dahero ich gemuthmasset / daß solcher Ort vor
Alters erschüttet worden / habe darauff noch ferner und bis 5. Ellen
tieff das Erdreich zu öffnen befohlen / da man endlichen einen Sand-
stein entdeckt / bey welchem ich zur Seiten noch tieffer hinunter grab-
ben lassen / und befunden / daß es ein vermauretes Grab / vor deme
unten zum Füßen / eine aufgesetzte anderhalbe Ellichte gevierdte Tafel
vermauret war / worauff ich selbst mit Lichtern hinein und wohl
einhinter geleuchtet / aber mehr nicht / als zu beyden Seiten egliche /
durch die Länge der Zeit verwesete tennene Breter / ein ziemliches
breites aber nach der Länge hinliegen sehen / hab also gemuthmasset /
es were noch eine tieffere Grufft darunter / und etwan solche Schlucht
oder Eingang obenher mit diesen Bretern vor Alters verdeckt wor-
den. Dahero ich umb der Sachen gewiß zu werden / das Bret / so
in der mitten einhinter gelegen / und noch eglicher massen / ausser von
denen Seiten und unten / etwas ganz war / hervor gezogen / da ich den
in linea perpendiculari, gleich unter der Kupffernen Tumba höchst-
ermelden Glorwürdigsten Fürstens und Herrns / Herrns Friderici
Primi Bellicosi überbliebenē Körper und Gebeine als liegende befun-
den. Es war das Grab von langen Pirnischen harten steinernen
gehauenen Taffeln zur Seiten uffgesetzt / oben her über zwerg / mit 3.
Viertel dicke gehauenen Deckstücken / in Kalck überleget / die weite
des Grabes im Lichten war 1. Elle 8. Zoll / die Höhe 1. Elle 2. Zoll /
der Sarg war von Kieffern Holz / mit einer blatten decken / da die

Seiten Breiter verweset/ in einen langen schwarzen Rock/ bis auff die Füße/ von Wöllener klaren Sarge/ welche so sehr auch alles verweset/ doch noch eigentlich zu erkennen war/ die Schuhe von schwarzen Leder/ und waren die Gebeine von unten bis oben mit gedachten schwarzen Rocco noch völlig bedeckt/ welche man ganz ordentlich darunter liegen sahe/ das Haupt lag oben etwas wie zur Seiten geswendet/ wovon das geringste nicht mehr/ als das cranium oder der Todens Topff zu erkennen; Von denen Händen/ so vor sich auff den Rocco lagen/ waren die Gelencke und Knöchlein noch übrig/ kein Gewehr sahe man dabey/ welches etwan in oder auff dem Sarg gelegen hette/ und muß es ein sehr langer und ansehnlicher Herr gewesen seyn/ wie der Augenschein gab. Dieses alles habe ich mit genauesten Fleiße nebenst Anwesenden in Augenscheinliche Beobachtung genommen/ worauff ich das Grab/ in welchen auch nicht die geringste Feuchte nur gespüret war/ mit guten Räuchwerk austräuchern/ und also auff's fleißigste mit Fügung der Steine an vorigen Orte wohl zumachen und vermauren/ auch das Erdreich bis oben uff/ auff das festeste stossen/ und die Taffeln/ wie vorhin wiederumb vorlegen lassen. 2c.

Ex his, L. B. haud obscure intelligis, quæ de Friderici Bellicosi sepulcro impostorum sit fovenda sententia. Unum tamen adhuc eam premit dubium ex nigrae tunicae praesentia & gladii ut & aliorum insignium defectu obortum, non *Friderici* scilicet, sed Episcopi vel Canonici Misnensis sepulcro tumbam aeneam fuisse impositam. Sed solvi posse arbitror, dicendo, *Fridericum*, qui seculi illius fuit mos ac superstitio, Clericorum habitu loculo fuisse illatum.

Pluribus hæc non persequor, cum has partes probe expleverit optimæ indolis & spei Juvenis

DANIEL Richter / Dresdensis.

Hic

Hic enim Mæcenatum voluntati, cui refragari ne-
fas, satisfacturus, politam de Friderico Bellicoso
Misenæ sepulto conscripsit; Orationem, quam in
publicâ eruditorum virorum corona ἀπὸ σοφῶν re-
citare decrevit, si facultatem cathedram conscenden-
di concederem, quâ & facile ipsum beavi, ne Juvenis
egregii conatus inhibere, aut ejus commodis videar
deesse. Prodibit itaque luce hodierna, volente Deo,
horâ pomerid. II. ex memoriæ penu deprompturus,
quæ de Friderici Bellicosi sepultura ipsi mandavit,
simulque pia solvet vota pro utriusque Familiæ &
Albertinæ & Ernestinæ vigore ac incolumitate. Ne
autem vacuis subselliis videatur dicere bonæ expecta-
tionis Juvenis, en! L.C. quod meū & ipsius est dese-
derium, imitare *Constantinum M.* qui *Eusebio*, Episcopo
Cæsareensi de Christi sepulcro differenti per multa-
rum horarum spatium aures stando non præbuit
negligentes, & subsellia Scholastica occupando per
semihorulam Juveni peroranti æqua auscultante.
Cujus voti si compotes nos feceris, non solum me &
studiosam Juventutem tibi senties devinctam, eam-
que ad excolenda bonarum literarum studia incita-
bis, sed & publicè testaberis, te optimi Principis ma-
nes totamque Seren. Domum Saxoniam sancte co-
lere atque venerari. Vale! P.P. Altenburgi prid, Eid,
Mart. A. C. clō lbc LXXIII.

Hic

AK 9/1412

Faint, mostly illegible text in a historical script, possibly Latin or German, covering the majority of the page.

Small handwritten mark or signature at the bottom left of the page.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the paper.

ULB Halle

3

004 778 758



VDM





De loco Sep...

Bl. XVI, 1

FRI
BE

LO
In Lyc

REIP. LI

Sub

M. PAULU

Apud Gothofre

Alleg...

6.



CI

SI

ES

ARIUS,

Ducalem.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
Centimetres

